



Prologus.

Actitent licet veteres inventa ætatis suæ, ea-
que mirum in modum efferant, nil tamen ob-
stat, quo minus nostræ ætatis excogitata non
comparemus tantum illis, sed longè quoque
preferamus. Instigat enim & inflammat ad-
huc dum homines ingeneratum illud & im-
plantatum sese perficiendi desiderium, ita,
ut impetu concitatisimo & flagrantissimo in
sui ruant perfectionem. Hinc mens humana inventrix existit & fa-
bricatrix variarum scientiarum, multarum artium, nec illis jam sinè
inposuit, sed invigilat quoq; summo studio & diligentia illis. Exco-
gitarint licet Veteres haud vulgaria præstantiora tamen & præ-
tiosiora longè sunt hodierna inventa. Sparserunt quidem illi se-
mina, quid tum? ad fructus ferendos excitarunt illa hodiernos se-
culi homines, itaq; foverunt, ut in excelsas procerasq; adoleverint
arbores. Adsit jam veterum cohors, percurrat scientiarum gene-
ra, nihil inveniet cum suis comparandum. Rudem accepimus massam,
subasta à nobis & expolita est illa. Admiratione raperentur illi extra
sese, cum viderent seculi nostri præstantiam. Unam illam si aspicerent
Mathesin, quidnam dicturi essent ad instrumenta, quæ solerti homi-
num industriâ hoc tempore fabricata sunt? Tubi Optici ut faciam tã-
tum mentionem, ubi locorum fuit tunc temporis? nusquam certè. At
jam instrumento illo quid præstantius? quid utilius? Haud opus est,
optemus cum illo Philosopho, morte nos compensaturos, si contingeret
modò propius ad lucem solis accedere & naturam ejus rimari. Bene-
ficio Tubi illius nõ tantum è longinquo aspicere illum, sed in cameram
eamq; obscuram intromittere illius faciem nil vetat. Nec amplius aliis
illis Icareis vitæ periculum ad aspiciendum illius lumen quis adeat ne-
cesse est, in ipsis tectis nostris aspectu illius perquam savi & jucunda
frui possumus. Meritò mundi oculos, Cæli gratia, Decus diei, ac u-
niversè

A 2

No. 467. V. A. 106.